

bili^z. annorum, lue venerea laborante. Hic alias sanus cum ob-
venerem illicitam, per quod peccarat per idem punitus & idem,
lue luis Venereæ initium pateretur curatur ab empirico, qui plu-
ribus hebdomadibus continua illum sudatione vrget, ita vt hinc
rarefacto nimis sanguine, viribus exhaustis, succumberet & satis
cederet,

7. Nec pauco nimis, nec copioso nimis sero debentur sudorifera.
Ilo enim casu sanguis iamdum spissior, ipsoque orbatus est, vt in-
gracilioribus, biliosis, senibus, maniacis, squalidis, ad marasimum
& phthisin inclinantibus. Hoc vero improportionatum est re-
medium, extrauasato eodem cumprimis, vt in cachecticis &
hydropicis. Magis hic habent locum sudationes particulares iam
dictæ, pedum v. g. Monstrat hoc & ipsa natura, vt in hydropicis,
adde & infantibus aridura laborantibus, ex glandulis intestinali-
bus obstructis, superiora exarent, venter tumescit. Valet prius
& in febribus & aliis morbis, vbi sudatione opus est, limitando
dosin & regimen, optime enim curat, qui bene distinguit & me-
dicamenta & subiecta.

8. Seru in coagulum abeunti diaphoretica conueniens remedium,
modo cetera sine paria. Sic in catarrhis in genere vnice prosunt; in
specie vero catarrhis suffocatiis, vbi omnem absoluunt paginam
eadem. Sic & in lentoibus seri subsistentibus aliis id ipsum præ-
stant, modo purgantia, emetica, diaphoretica præmittantur; il-
lo enim ordine vniuersalia hæc præsidia veniunt consideranda.
Adeoque si solus sanguis & serum in vasis suis halitusositate me-
diante ventilari ac vigorari queant, diaphoretica diuinum sunt
præsidium.

LIBRI II. SECTIO II. CAPUT VII.

De

Carminatiis.

INsanum est decretum: hoc est carminatiuum, illud ventos
pellit, illud vero flatus discutit, verba sunt Helmontii l. de fla-
tibus p. 337. §. 17. Quæ dum profert, videtur pati fatum illo-
rum,

rum, qui magis errata aliorum, quam rei veritatem citra iniuria opprobria attendunt. Negari omnino nullo modo potest, dari flatus, ex concessis, eosque oboriri in corpore non naturales solum, sed & præternaturales. Hoc ut certum & concessum est, ita nemo tam absurdus fuerit, nec ipse quidem *Hermannio* abnuente, i. e. qui flatus illos peregrinos medicamentis corrigi & discuti posse neget. Non ergo per carminativa abscedunt venti, ut idem ludit, sed natura adiuta & asserta in libertatem suam. Metaphora in voce manifesta est, termino, sicut barbaro, vsu recepto. Ut enim carminatur lana vel linum, ut grossi a subtili fiat separatio; ita quoque per carminativa peragitur humidi consistentis a rapido explosu separatio.

Si fateri volumus quod res est, vel penitus in naturam flatuum inquirere per experientiam notum est (1.) flatus alios esse grossos, exhalatione sua vel sonitu conspicuos, & satis deprehendendos *perructum*, *peraltum*, *perβοβούγης*, & hisce analogos, quos nemo non e plebeis quoque pro talibus agnoscit; Alios vero tenues, subtile, quales e sensibilibus est tinnitus aurium, aliquie in spatiis in primis subcutaneis, unde & sudor quandoque visus fuit sonorus.

(2.) Oboriri eosdem ex improportione archei & humorum. In statu enim naturali, quando archeus seu calor bene habet, generantur quidem flatus quoque, sed illi insontes, intestini cœci cum primis incolæ, ast si subigere materiam, ingesta; non possit, promte adsunt.

(3.) Resistere archeo magis humores acidos, austeros, aqueos pituitosos, mucilagine pontica præditos, unde alimenta tales flatus promouentia præcipue dicuntur flatulenta, unde recte mater & minera sive materia flatuum dicuntur.

(4.) Datis flatibus varios edi effectus morbosos, de quibus videatur *Fienus in physographia*, maxime vero obstruktiones citare, vel iisdem positis exasperari & lacerare magis, & dolores lancinantes, tensiones, & inflationes sive tumores partium quibus continentur, intestinorum, ventriculi, scroti, producere.

Paucis his præmissis, vt reliqua mittamus alibi exposita, notabile saltim adhuc est, (5.) admodum affinia esse sudorifera & carminatiua, vnde & modus agendi horum ad illorum modulum optime quadrat & claret.

Sunt enim CARMINATIVA in genere, quæcunque humorem, stagnantem & vitiose rarefactum disploidunt vel inuertunt. Vbi status, ibi humores quasi rebelles archeo, & vbi hi, ibi rarefactio vitiosa. Destructa ergo vel correcta materia, nido & foco, destruuntur primario fatus; vnde porro inferimus: vbi fatus, ibi *ἀναγνώστις* siue euaporatio chyli non legitime peragitur, ibi ventriculus vel sua respectiue culpa, vel obiectorum in munere suo deficit. Hinc I. quæcunque particulas obtinent facile exhalabiles, mobiles, sulphureo-salinæ, illæ sunt carminatiua. In omni carminatione requiritur, displosio, principium vero displosionis primum est sulphur, secundarium sal, quod videmus in pulvore pyro, fulminante & aliis, licet hic mitius id & blande contingat. Carminatiua igitur dum displosionem & rarefactionem naturalem promouent, vitiosam auertunt. Principaliter ergo carminatiua sunt sulphurea, adæquate salina.

Tantoque magis id ipsum præstant, quo magis simul respiciunt & producentem calorem, & productam materiam ex qua. Respiciunt archeum, motus omnis in corpore motorem, seu calorem respectiue debilem, & improportionatum; respiciunt mineralia flatulentam, humores dictos, aqueos, acidos, austeros & pituitosos, mucilagine mque ponticam; illum restaurando & excitando, hanc incidendo & attenuando, vnde calore roborato humores frigidi inciduntur & disiiciuntur.

Talia scilicet sunt καλέξοχη I. aromaticæ, stomachica, sale-volatile oleoso fæta, vt radix zedoariæ, galangæ, in torminibus hinc proficia etiam pest partum, radix mei, carlinæ; herba menthæ, calamenthæ, folia & baccæ lauri, iuniperi, semen anethi, carui, cumini, fœniculi, anisi, quæ hinc vno verbo dicuntur carminatiua; macis, cinamomum, caryophylli aromatichi, cortices aurantiorum, citri, horumque spiritus, & olea, zedoariæ, anisi, carui, lauri, carminat. Mysl. item species diagalangæ, diacumini, dialepo-

diaspolit. Galeni, aromaticæ rosatæ, caryophyllatæ, spiritus & essentiæ corticum citri, zedoariæ s. & compos. salis ammoniaci anisatus, fœniculatus, cinamomisatus &c. aqua carminatiua Dorncrellii, spiritus carminatiuus Drawitii, & aliorum; electuarium & emplastrum de baccis lauri, pulueres, elæosacchara, alæque formulæ ex dictis. Inprimis huc facit aurum fulminans, in tympanitide hinc maxime commendatum.

Sin loco varient & ventriculo potissimum inhærent, etiam stomachica alia huc pertinent, suo loco iam tradita & expedita.

Talia sunt 2. *acida sulphurea volatilia*, quorum instar omnium est spiritus nitri simplex & ex hoc enatus dulcis. Gaudet enim hic virtute explosiua summa, incisoria, attenuante & sudorifera, vnde, modo prouide actiuitatem eiusdem attendamus, probatissimus est. Acida vero alia, ut spiritus salis, vitrioli, mediate quidem prosunt, causam in ventriculo respicientia, minus tamen in coniunctis doloribus.

II. *Quacunque particulis gaudent temperantibus, dissipantibus, præcipitantibus & inuertentibus, illa sunt carminatiua.* Cum enim flatus agnoscant originem quoque ex acido, coniunganturque sæpenumero cum Φλεγωστει viscerum, sædæ humorum, merito etiam hos domant recensita, in primis 1. *alcalina*, quæ & acomrem absorbent & humores fundunt, ac in motum cident torpidos, aqueos, seruos, bilem vero dissociant, & sic exhalationem vitiosam impediunt & antevertunt quasi, quin & per sudorem ipsum disiiciunt, & grumescentiam halitusam tollunt, ut oculi canceroram, concha, mater perlarum & laudatissimum & diaphoreticum, gium martiale cacheeticum, bezoardicum iouiale, & merito etiam hunc censem subcuntia cinnabarina ac opiate; item tintura tartari, quæ eo potissimum casu prosunt quoque, vbi calculi & colicæ vel connubium fit ac sororatio, vel etiam alter alterum affectus mentitur, utrique enim indicationi satisficiunt. Resoluunt fabulum, resoluunt serum, pituitam & flatus.

2. *Nitrofa & media, arcanum tartari, tartarus vitriolatus,*

Yy 3

arc-

arcanum duplicatum Minsichti, nitrum ḡtum, clyssus ḡii, quæ salina, vt & tinctura tartari simul quoque aluum blande adaperiunt & portam exituris concedunt. Neque obstat dictis, flatus accentitos fuisse calore debili; reuera enim est debilis non solum deficiens, vt in senibus & pituitosis, verum etiam inquietatus, turbatus, irritatus, vt in scorbuto calido, colica biliosa & aliis.

Vt vero hæc sunt proprie dicta carminatiua, quæ calori & humoris improportionatis debentur; ita huc spectant porro, licet adæquate & secundario magis, quæ respiciunt comitantia vel producta flatuum, quibus neglectis nec remotis vnaue curatis frustranea ipsa sunt, dolores puta & obſtructiones. Hinc

III. *Quæcunque dolores tollunt, sive suaui exhalatione, sive ligatione blanda, sunt carminatiua, vel saltem illis præcipue socianda.*

Talia sunt neruina & paregorica, non solum roborantia calorem & incisoria pituitæ; verum quoque blanda sua avigua & transpirationem facilitantia, partes dolentes, tensionem & lancinationem mitigantia. Ita peregorica quoque sunt summitates anethi, flores chamomillæ Romanæ, (cardialgia specificum) meliloti & laudata alia iam. Item castoreum, in singultu & flatibus hysterics probatissimum, eiusque essentia ac spiritus, oleum, pinguedo; mithridatum & theriaca in colica probatissima, & reuera polychresta; olea destillata dicta, oleum 2is, item zibethum, quod hinc timbilio illitum, in torminibus infantum & aliis egregie conductit, & opiate ipsa quoque. Hinc sacculus polychrestus in variis, in primis flatulentis, doloribus fieri potest ex floribus chamomillæ, femine lini, carui, sale & furfuribus triticeis vbiuis obuiis. Actu enim calida externa dissipant quoque.

Et sane tertia hæc classis erit mixtorum, adeoque optimâ quasi. Instar omnium sit essentia nostra carminatiua, descripta in *Opiologia p. 119.* ex selectioribus carminatiuis, aromaticis acidis, neruinis. Non potest commode carere medica praxis hac ipsa, vel, si ea minus arrideat, simili, modo maritentur cum eadem

dem anodynā, vnde vidimus effectus laudatissimos & præsentaneos in casib⁹ variis. Sin addatur essentia castorei, remedium est in suffocatione vteri & cardialgia efficacissimum, maxime si olei caryophyllorum guttula vna vel altera prompte miscenda addatur. Sic & oleum caryophyllorum cum conchis datum optimum est in cardialgia, etiam dysenterica, &, si accedat cinnabaris, puluis præcipitans est eximius, tum alibi, tum in palpitatione cordis ipsa cum successu a nobis frequentatus.

IV. Quocunque viam laxant flatibus, eosque eum pace dimittunt potius quam incarcерant, sunt carminatiua. Potissimum enim flatus fouet obstructio viarum & meatuum, vnde nisi illæ liberæ sint, sœpe dolores & anxietates maiores consurgere oportet, imo ipsa carminatiua, præcipue calidiora, primi generis, id ipsum non raro præstant, licet per accidens. Absurdum enim fuerit dispondere, & denegare exitum disploso. Valet id cumprimis, quando cum flatibus, & exin productis torminibus, coniunguntur alii obstrunctiones; tunc enim primaria vel quasi talis cura est per hæc viam laxantia; vti, quando eadem cum fluxu alii combinantur. anodynā & iam dicta.

Singula hæc insignem habent usum in singulis ventribus, sicuti flatulenta materia inibi vitium affricauerit. Sic in vergine & tinnitu aurium, tum hæc, tum alia, infimum ventrem simul respicientia locum habent, ita ut martialia, & carminatiua, præcipua quasi sunt specifica. In inflationibus ventriculi, præprimis post cibum, adiuuando οχθων eadem conueniunt, vnde & pulueres peptici enati. In pleuritide spuria intus & extus uisce quoque profundunt. Cardialgiam exemplo sedant, ructus & singultus tollunt, colicam præsentissime curant, tormina dysenterica & cum diarrhoeis aliis coniuncta sedant, vnde in dysenteria calorem externum, cum litibus, ex oleo ceræ, chamoillæ, anethi, anisi, fœniculi, hyoscymami, &c. inueni laudatissimum, imo in torminibus quoque variolas præcedentibus. Sic & in tympanitide & doloribus hypochondriorum profundunt. Hi enim sœpenumero non tam sunt splenici, quam intestinales, ab inflatione coli oriundi; item doloribus post partum cum anodynis,

dynis, & passionibus hystericas præsto sunt. Imo herniam quoque intestinalem, experimento Helmontii & nostro, curant. Tensionem enim intestinorum demendo, eadem locis suis detinent, ne spatum longius occupando herniam intolerabilem vel incarceratam reddant.

Confirmat id historia ab Helmontio l. 5. duumuir. t. 20. p. 243. & l. de flatibus t. 75. pag. 344. Cum enim herniosò incurio ad capitis magnitudinem increuisset tumor scroti, & intumuisset mirum in modum, obtulit haustum vini semel bulliti cum seminibus contusis anisi, carui, fœniculi & coriandri, statim hinc emolita duritie & hernia retro impulsa, facta vna, quod improbat tamen, prius fotu cum lacte & stercore bubulo. Hinc recte de his seminibus scribit l. c. illa corruptionem simul atque aciditatem materiae inhibere esseque ideo intestinorum solamina. Hæc scilicet est methodus curandi herniam & simplicem & ileosam, incarceratam. Simplicem, interius propinando semina 4. carminatiua, cum semine perfoliatæ, lapidibus cancrorum, cum sale, quod iussimus post cibum, capere ordinarie velut tragema domesticum; Exterius applicando subligaculum & pro re nata emplastrum contra rupturam. Ileosam, interius per carminatiua & purgantia, præmissis quandoque opiatis, virgente vomitu, exterius per fatus emolientes, quod exemplum vius carminatiuorum est nobilissimum.

Denique & in palpitatione cordis promptissimum ferunt auxilium. Plerosque tales ægros hypochondriacos notaui & ventriculi debilioris, vnde etiam ab hoc ipso paroxysmus vtplurimum capit exordium. Hinc non tam cordialibus, quam minerali halitusam & tremefacientem dissipantibus & præcipitantibus illam debellare licet; vnde cum virisque intentioni inseruat aqua cinamomi, est etiam, non minus ac elixir proprietatis Helmontianum album, in Palpitatione cordis probatissima, tum per se, tum cum speciebus cordialibus temperatis assumpta.

Notandum vero hinc i. Carminatiua dispolisia praesente calore præternaturali minus commoda. Ut in omnibus specificis distinguen-

Stinguendæ sunt circumstantiæ, ita ut illa saltim talia sint, quæ exquisite hisce debentur & sunt opposita; Sic in primis id quoque valet de carminatiuis. Displosua igitur conueniunt, vbi displo- di materia flatulenta potest, non item, vbi calor non est sui iuris, sed halitusitatem efficit gradu aucto, tunc enim temperantia po- tius ex vsu sunt. Sic &

2. In discutiendis flatibus magis causa quam effectus respiciendus; siue humor sit pituitosus, calidis optime excutiendus & carminan- dus; siue acidus, inuertendus, siue biliosus, temperandus. Va- let id maxime in flatibus productis, quando non tam αθέως ηγετικούς irrunt & excitant dira symptomata, quam laneo pede mo- lestum nihilominus post se trahunt effectum & dolorosum. In singulis archei & materiæ exhalantis est habenda ratio, adeoque & crassiorum & tenuiorum flatum.

3. Flatus dolorosi carminatiuis, anodynis & eductibus ob- temperant. Methodus hæc est purandi colicam: (1.) dando di- scutiens, essentiam carminatiuam, theriacam, vel similia, (2.) la- xando aluum, seu clystere, seu puluere purgante, nisi quid obstet. (3.) demulcendo tensas abdominis partes, oleis, linimentis, saccu- lis paregoricis & similibus.

4. Pauciores flatus displodi, copiosores educi amant. Omne medicamentum subigere debet morbificam causam, h. l. mine- ram flatum carminatiua; id si non fieri queat, si displodi ne- queant educendo, displodendo magis tenuati magis tendunt in- testina.

5. Flatus gravitati discutientibus, præcipit antibus & aperien- tibus auscultant. Methodus hæc est affectus hypochondriaci fla- tulenti & consimilium curandi, vt martialibus præfertim hume- ratibus aperiantur viæ, chylusque dulcedine recuperata prompte euoluatur. Hæc qui nouerit, feliciter prouhetur. Neque enim tantum flatus colicam absolute & solam faciunt; ve- rum & chronicos, hypochondriacum, & alios affectus. Faciunt huc sicciora patulo intestina tum actu, quatenus obstructiones fouent, vnde videoas aliquando in hypochondriacis stercora instar caprarum globulata; Eo vero casu frustra fuerit, carmi- natius

342

LIB. II. SECT. II. CAP. VII.
natiuis anxietatem & dolores adaugere potius, quam tollere;
Tum potentia, ob acorem stypicum. Observations ergo &
experientia practica testantur, semper ad vias simul respicien-
dam; & in colica ad carminativa utique confugiendum, modo
cestera dicta sint paria.

6. *Flatus et carsi morborum non aequa etiam manifesta atten-
dendi.* Maxima est vis elastica humidi, varie promota a calido.
Calidum perpetuo agit in humidum, perpetuo rarefacit. Cum
itaque sepe ab elatere hoc extraugante contingat & im-
pedimentum circuli humorum, cum debeat esse *Exegesis pia Expu-
trvia pia, confluxio una, conspiratio una, iuxta Hippocratem l. de alim.
c. 4. t. 24.* non inaequalis; Hinc prater dicta, etiam dolores flatu-
lenti in extimis partibus sepe sunt. Hinc quod interius sunt car-
minativa, id exterius sunt discutientia, rarefacientia, diaphoreti-
ca laxantia, quae nempe humorem in vapores resoluunt, quae va-
pores & fuligines per poros cutis apertos & dilatatos exhalare fa-
ciunt.

7. *Carminativa interius humida, exterius siccata forma acti-
viora.* Interius quidem, quatenus humida citius penetrant &
subtilitate sua dispersionem optimè procurant, nominatim in
essentia, simplici & composita. Ita enim *Vi*, generosum vehi-
culum aromatici oleosi carminativi, optimè se gerit; Hinc spi-
ritus & essentiae carminativae optimæ sunt omnium. Notabi-
lis vero est cautela, non bene carminativa in decocta recipi,
quod tenuis volatilis vis ab igne facile propellatur & aufugiat.
Id de aqua valet, non tamen ex toto, sed de interius assumen-
dis potissimum, cum maxime caudendum sit, ne loco virtutis de-
fiderata humidus excrementitus iners hauriatur liquor, nec qua-
ramus in decocto, quod in auram exhalauit. Leuis tamen cum
vino ebullitio non obstar, sed optima est. In clysteribus eadem
ratio valet, cum lege artis parentur ex emollientibus & carmi-
natiuis, (horum enim connubium in colica, calculo, ileo debet
esse perpetuum,) cum prius radices, folia, herbz, hinc semina
recipiantur, cumque hinc coctio illa itidem sit leuior. Hinc
tum aliis pluribus formulis, tum in clysteribus conuenientis-
sime

Time prescribuntur. Exemplo sint tormenta in infantibus, quae placantur optime, si propinetur gialapa, si cinnabarina & andyna, si adhibeantur clysteres. Horum primum si non sufficerit, secundum presto est, nec hoc sufficiente, tertium auxilium fert, quia pluribus indicationibus satisfaciunt, & inter has quoque eluunt pituitam saepe affixam intestinorum camerae. Olea vero destillata ut commode cum essentia carminativa miscetur, in primis caryophyllorum; ita quoque prouide clysteribus & in pauca quantitate remiscent quidam, cauendo vredinem.

8. *Carminatius* viam sternunt stomachica, purgantia & diaria. Cum enim in omnibus flatibus crassioribus concurrat ventriculus, velut obstetrix, quatenus cruditates generantur nec legitime euoluuntur particulae alimentariae chylosae utilles, optime segerunt stomachica, calorem rebotantia & menstruum ventriculi, ut & domestica debilitas sive intemperies frigida tollatur in se, & ab assumptis exorta flatulentia dometur. Cum productum morbosum sint flatus ex humido, velut materia, illud utrumque expeditunt recte purgantia, vel aluum saltim lenientia. Hinc optime sunt eo casu pilulae aloeticæ, quæ dempto visco sunt mitiores, nec tenesum hemorrhoidalem inducunt. Denique cum singula vel producat vel soueat diæta, illa quoque mutanda est; plurima enim sunt flatulenta, ut ex vescis dicta oleracea, ex potulentis potus nimius, cereuisia & vinum recens, utraque feculenta & alia. Haec nisi attendantur, non possunt feliciter vel impendi carminativa, vel curari flatibus debiti affectus.

LIBRI II. SECTIO II. CAPUT VIII.

De

Anthelminticis.

Inter causas morbificas easque latentiores non minima est verminosa putredo, ipsique vermes variij generis. Observavimus nuper vomitum cruentum a vermibus sat graueta,

Zz 2

duobus